



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1648

Cap. VI. Quo pacto describi possit Tabula vniuersalis, in qua vrbs aliqua ad libitum in eius medio constituatur: seu oculo constituto in Nadir alicuius loci.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13147

CAPVT VI.


*Ratio depingendi Hemisphærij Geographici oculo conſtituto
in Nadir alicuius loci.*

*Seu quo pacto describi poſſit Tabula vniuerſalis, in qua vrbs ali-
qua ad libitum in eius medio conſtituatur.*

DVCATVR more ſolito Circulus A. B. C. D. in quatuor quadrantibus vt ſuprà diſſectus, hique quadrantibus iterum in ſex partes diuidantur. Supponamus ergo tabulam poſtulari reſpectu *Lugduni*, aut *Venetiarum*, quæ vrbes ferè incidunt in 45. gradum latitudinis, & alterutra ſit in Tabulæ medio ſeu centro collocanda. Per ſuperiores modos inuenitur proiectione in linea D. A. quæ etiam extenditur in X. & per numeros 6. 5. 4. 3. 2. ex puncto B. ducantur lineæ occultæ ad inueniendam proiectionem Parallelorum latitudinis. Tum circumducatur circulus, qui ſecet P. N. erit is 75. latitudinis; alius M. Q. qui erit 60. A. L. qui 45. I. R. qui 30. N. T. qui 15. G. V. Æquatorem repræſentabit, ſecantem B. C. ita deinceps F. X. erit 15. latitudinis Auſtrinae E. Z. 30. & in D. finiatur 45.

Duo autem *Tropici* & *Polaris Arcticus*, eadem methodo inueniuntur, *Polaris* quidem medio interuallo inter P. Q. & M. N. *Tropicus Cancræ* inter I. H. & R. T. *Capricorni* verò in medio E. F. & X. Z.

Iam inueſtigandi ſunt *Meridiani* hoc pacto. Arcus Circuli C. O. B. perficitur, & eius centrum D. per diametrum I. e. diſſectatur in ſex partes μ . ν . δ . ξ . σ . itémque ſemicirculus o. γ . a. in totidem partes λ . κ . η . π . ρ . Ex illis autem punctis ab O. vbi *Polus Arcticus* ſigitur, ducantur occultæ lineæ quæ ſecent lineam A. e. in β . γ . δ . e. lineam autem D. I. in ξ . η . θ . I. tum ſupra tria puncta o. β . a. ducatur portio Circuli cuius centrum erit I. at verò o. ζ . a. Centrum erit e. Semicirculi autem o. η . a. Centrum erit γ . & ita de cæteris. Quatuor illi ſemicirculi producantur ultra Polum O. dabunt octo Meridianos: ſemicirculus B. O. C. duos linea D. A. totidem, & ſic in hoc Hemisphærio 12. depingentur Meridiani.



Inter
 pagin
 74. et 75.

Supereſt *Eccliptica* quæ ducitur per *Tropicum Capricorni*, & ſemicirculum C. D. qui repræſentat *Æquatorem* ſectum in *Librà*, & *Ariete*. Vt autem diuidatur in ſex ſigna abſoluatur ſemicirculus, & excurrat in S. diuidetur quadrans B. D. in tres partes, & ab iis ad A. trahentur lineæ, quæ ſecent lineam L. B. in ψ . χ . Tum ab iisdem punctis ψ . χ . ad S. ducentur lineæ quæ *Ecclipticam* ſecent: extenſio χ . dabit *Scorpionem* μ . productio ψ . *Sagittarium* ν . eodem modo ex alterâ parte *Amphoram* ω . & *Piſces* κ . inuenies: quæ planè eadem ſunt cum iis quæ in ſuperiori metho-
do diximus de diuiſione *Ecclipticæ*; ſed, maioris lucis cauſâ, in figurâ intricatiori cenſuimus hîc eſſe repetenda.

Iſ modus delineandæ tabulæ venuſtiſſimus eſt, eoque vtuntur vulgò qui *Aſtrolabia* reſpectu alicuius loci concinnant. Et verò illius maximè ope, patuit noſtris Patribus ad *Sinas* aditus. Quoniam hi populi ferre non poterât in Tabulis *Geographicis* ſe in angulum, & extremum orbis compingi. Sed hac praxi eruditi homines, ambitioni eorum, fecère medicinam.

Prætermitto de induſtriâ Methodum *Petri de Roas*, in quâ paralleli magis dilatantur, quò magis ad *Æquatorem* accedunt; ſicut & *Meridiani*, in medio Tabulæ ampliores, ſenſim coarctantur, dum magis ad extrema Tabulæ vergunt. Quoniam deſumitur eorum diſtantia per lineas rectas protractas à partibus vnius quadrantis, ad partes oppoſiti alterius. *Meridiani* ducuntur per *Ellipſes*, paralleli per lineas rectas. Sed in re *Geographicâ*, rara eſt illius Modi mentio.

Videantur plura apud *Furnerium* noſtrum in *Hydrographiâ* ſuâ, vbi multa de Tabulis collegit, potiſſimum de *Hydrographicis*, & quomodo poſſint illæ ad *Geographicas* reuocari. Nec enim omnia dicere poſſumus, & ad alia magis neceſſaria feſtinamus.

CAPVT VII.

De Particularibus Tabulis.

COGNITA longitudine, & latitudine locorum, quæ in Tabulâ diſponenda ſunt; obſeruatur maxima, & minima latitudo, & attenditur proportio inuentorum parallelorum ad *Æquatorem*. Si diſcrimen non ſuperet quinq; gradus ſine vllâ incli-

K ij